



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus secundus. Quid Catholici poenitentes de mysticis participant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

Sanctissimæ Trinitatis effulget, quamuis ad nimium cruciatum, quem proprijs voluptatibus inebriati, iusto Dei iudicio sustinent. His autem relictis, ad illos quibus spes vitæ æternæ affulget, transeamus.

Quid Catholici pœnitentes de mysticis participant?

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qui Catholica fide muniti, depravatæ naturæ malitiam non satis cauent, & grauioribus peccatis subindè commaculant; durum profectò conscientia stimulum, ac Syntheresis contra malum, obmurmurationem incessanter sustinere habent, velint nolint ipsi. ex quo fit, vt ad salutarem pœnitentiam, peccatorumque detestationem denuò commoueantur, optimam pœdagogiam de summo bono participantes, vt a oculi eorum sint videntes præceptorem suum, & aures eorum audientes vocem post tergum monentis. quibus auxilijs commoti gemitibus *b* inenarrabilibus propriam dein fragilitatem deplorant, peccata Sacramento pœnitentiæ delent, ac diuinam in se bonitatem collaudant.

Quod autem eiusmodi homines ad contemplationem primi principij, & optimi, quod Deus est, non pertingant (quamuis in mentibus ipsorum intimè præsens sit) ex eo prouenit, quod [mens humana *c* sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam phan-

tasmatibus obnubilata, non redit ad se per intelligentiam, concupiscentijs illicita, nequaquam reuertitur ad seipsam per desiderium suauitatis internæ, & lætitiæ spiritualis; ideo totaliter in his sensibilibus iacens, non potest ad se, tanquam ad Dei imaginem reintrare] quapropter inter alia Christianæ pietatis, & misericordiæ opera nihil salubriùs talibus superesse videtur, quam [oratio, quæ Deo est *d* sacrificium Angelis organum, Sanctis conuiuium, orantibus præsidium, contritis vnguentum; pœnitentibus remedium, hostibus iaculum, & omnibus tentatis fundamentum.] quinam autem vicinius Deum prælibent, consequenter videamus.

Pientiores, siue in statu Religioso, siue seculari, in suis ad Deum precationibus frequenter consolationes diuinas experiri.

ARTICVLVS TERTIVS.

Cum melior sit dies vna in atrijs Domini, super millia sæculi nonnulli pientiores Catholici, siue in matrimoniali, libero, aut voto continentia obligato statu, vel etiam in ordine aliquo regulari à sede Apostolica approbato, degant; quocunq; pio affectu tanquam apes argumentosa, varijs sanctisque exercitijs in fide, spe, & charitate Domino famulantur. modo enim orationes vocales absoluunt, modo amorosis suspirijs, ad diuina feruntur, vix sacris ceremonijs, & diuinis laudibus (siue

B cho-

a Isai. 20. *b* Rom. 8. *c* S. Bonau. Itin. men. c. 4. *d* S. Bern. apud Harph. l. 1. p. 2. c. 42.